

**Dissertatio medica inauguralis de scarlatina ... / eruditorum examini
subjicit Edvardus Wilson.**

Contributors

Wilson, Edward, -1858.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat J. Pillans et filius, 1825.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fv8wva2f>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

DISSERTATIO MEDICA

IN HONOREM

SECRETARIATUM

(15.)

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

SCARLATINA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET
NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

EDVARDUS WILSON,

Cambro-Britannus,

CHIRURGUS;

NECNON

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOCIUS.

Quid est, quod malim, quam jampridem audita recordari, et simul videre, satisne ea commodè dici possint Latinè.

CICERO.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXV.

DISSERTATIO MEDICA

IN AUCTORITATE

DE

SCARLATINA;

DE

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

D. GEORGI BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIE BIRMINGHAMENSIS

HEROIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

EDWARDUS WILSON

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

EDWARDUS WILSON

ANALYTIKIS SEMINARIIS

CHURCHILL

HEROIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

CHURCHILL

ANALYTIKIS SEMINARIIS

ANALYTIKIS SEMINARIIS

CHURCHILL

EDINBURGH

ANALYTIKIS SEMINARIIS

CHURCHILL

PATRI OPTIMO

JOANNI WILSON,

ARMIGERO,

HASCE THESES,

IN LITERIS INCEPTUM PRIMUM,

PIETATIS SINCERÆ AMORISQUE

ARGUMENTUM,

SACRAS VOLUIT

FILIUS

AUCTOR.

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

JOHN WILSON

Dr. Dr. Woodford
with the Author's
congratulations

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

AUCTORE EDVARDO WILSON.

CYNANCHE Maligna et Scarlatina vitia inter se omnino discreta olim habebantur, ideoque a Doctore CULLENO ordinibus in classe "Pyrexiae" Nosologiae suae diversis distributa sunt. Hos autem morbos eisdem esse jam ferè inter omnes constat, et Cynanche Maligna nomine Scarlatinae Malignae a plerisque typum Scarlatinae gravissimum designare intelligitur.

Hoc sensu vocabuli latiore accepto, Scarlatina plerumque in tres species a se invicem separatas distribuitur : Scarlatinam Simplicem, scilicet, exanthemate tantummodo, et febriculâ leviori constantem : Scarlatinam Anginosam cujus febris ardescit, cui porro guttur inflammatum, exulceratio, et exanthema lætè rubrum accedunt ; et Scarlatinam Malignam, in quâ hoc seriùs erumpit et sub initium ferè pallidum existit, at citò colorem lividum seu profundè rubrum adipiscitur. Gutturis ulcera exuviis nigris obsidentur, et fundo livido cinguntur.

Scarlatina contagio grassatur, omnesque arbitrio suo aggreditur. Neque viris, neque feminis, neque infantibus teneris parcit ; postremos, quidem, præ ceteris urget, at raro, nisi semel, eundem vitæ totius spatio invadit.

Scarlatinæ Epidemicus aggressus plerumque Autumno decedente, vel Hieme primâ

accedit, et ferè debiles et exhaustos primo inficit.

In hâc Dissertatione Inaugurali persequendâ de Historiâ, Symptomatis, Diagnosi, Prognosi, et Curatione Scarlatinæ, ut suprà distributæ, tractare proposui.

DE HISTORIA MORBI.

MORBOS complures, quibus genus humanum primis temporibus plectebatur, jam obsoluisse, multosque, qui hodie prævalent, olim nusquam repertos esse, planè verisimile videtur. At, quo tempore illorum quilibet esse desierit, aut quando vel ubi horum aliquis mortales infestare primò cœperit, pro explorato habere, si omnino fieri potest, difficillimum saltem invenietur. Hoc certè de Scarlatinâ verum est, quæ a Doctore WILLAN, sese primò ad ripas Nili in Africâ in apertum protulisse putatur; ab eodem auctore quoque ulcera tonsillarum pesti-

fera ab Aretæo ceterisque scriptoribus dicta Syriaca Scarlatinam Malignam referre autumantur.

Anno 1517^{mo} Cynanche quædam contagiosa Amstelodami, a quibusdam Scarlatina epidemica fuisse credita, valebat. Verisimilius autem videtur, eam haud ante annum 1700^{mum}, in Europâ saltem, se prodidisse, tunc verò in Hispaniâ. Italiâque apparuisse, præcipuè circa Neapolin effectus per annos viginti dirissimos edidisse notissimum est.

Primam hujus morbi in Britanniâ invasionem, propè finem seculi 16^{mi} accidisse MORTON affirmat. Atque, ut a libri "The Edinburgh Medical Essays" titulum habentis tomo tertio certiores fimus, anno 1733^{tio} per incolas ejus urbis grassatus est,—Londini quòque annis 1747^{mo}—8^{vo}, formam sibi epidemicam assumpsit. Sub idem ferè tempus, in Orbe recentius reperto, Scarlatina conspicienda occurrit, perniciemque ad-

venarum, qui tum incolebant, universalem vix non efficiendam curavit. Hinc temporis usque ubicunque terrarum vitam homines degunt, ibi mitis vel molesta invicem, subinde adesse memoratur.

DE SCARLATINA SIMPLICI.—Typi Scarlatinæ mitioris accessionem molestia generalis muneraque solita peragendi impotentia, per horas duodecim plerumque, interdum vero per brevius temporis spatium, antecedunt. Nonnunquam, tamen, adeo subito invadit, ut puerulus, qui modò inter æquales sanus omnino, ut videbatur, colludebat, repente horrore, facie invicem rubescente, conqueratur; brevi horror decedit, ardorque, pulsu simul accelerato nausæ præterea et appetitûs cibi defectu comitantibus, paulatim super truncum, pedibus adhuc frigentibus, augescit; dolorque capitis lenior et dolores circa lumbos et abdomen accedunt. Oculi hebescent itemque nonnihil rubent; nox præterit insomnis, posteroque mane febris aucta reperitur.

Die progrediente, maculæ rubræ frequentes super facie et collo conspiciendæ apparent, quæ porro quàm arctè compactæ videntur, et paulatim in aream communem coëunt. Post horas viginti quatuor, efflorescentia similis per corpus universum sese effundit. Aliquando, in trunco corporis præsertim, intervalla cutis colore naturali potentia conspiciuntur, at nonnunquam exanthema continuum est, et per superficiem totam patet. Color coccineus circa articulos majores veluti humeri, cubiti, coxæ, genuque, partesque eas quæ sæpius pressuræ objiciuntur, vividissimus existit. Die quarto, eruptio maximè viget; quinto, per interstitia deflorescere incipit; sexto, vix usquam videtur, et ante septimum finitum, penitus e conspectu abiit; octavo nonoque diebus desquamatio successit.

Eruptio in os faucesque membranamque nasi Schneiderianam, itemque aliquando ad tunicam oculi conjunctivam usque penetrat. Morbo ineunte, lingua circa centrum

sordibus albis, papillis simul magnitudine auctis, et prominentibus, obtegitur; malo provectiore, rubra et nitida evadit, et, eo decedente, rursus crustâ albâ obducitur. Sub vesperum, eruptio semper vividior evadit, adeo ut, quamvis mane vix ac ne vix quidem conspici potuit, ad solis occasum satis superque appareat. Pulsus dum eruptio adest, circiter 120 ictus intra horæ *minutum* peragit, et debilis est. Facies haud parum tumet, sensusque quasi tinniens et pruriens cutem infestat; vires haud parum deprimuntur, inquietudo et anxietas, et noctu ad delirium proclivitas ægrum molestum habent.

Eruptione decedente, febris plerumque mitescit; appetitus cibi revertitur, ægerque suam sanitatem recipit, at debilis, pro febris prægressæ vehementiâ, quæ in quibusdam adeo lenis est, ut febricitantem ne lecto quidem affigat, adhuc relinquitur.

SCARLATINA ANGINOSA a solitis febris in-

diciis incipit. Faciei pallori vultûsque dejectioni, lassitudini insolitæ, motûsque voluntarii fastidio et impotentia, rigores plus minus vehementes et diuturni succedunt; vel etiam nervorum distensiones perquàm maturè superveniunt, quod semper ominis mali est, medicoque perito morbi exanthema habentis accessuri prænuncium extat. Tandem rigores decedunt, calor vero auctus, nausea subindè aggrediens, capitisque dolor subsequuntur.

Postero die, hæc omnia in mirum modum exacerbantur. Dolor capitis sæpe immanis evadit; delirium ferox haud rarò, hoc stadio, quamvis maturo, supervenit. Oculi rubri lucisque impatientes fiunt. Pulsus debilis at celerrimus est, aliquando, tamen, morbo incipiente, validus plenus et durus est, eodem verò progrediente, debilis et intermittens factus. Calor ad 105 vel 108 etiam surgit, quem gradum, in nullo hujus regionis morbo, unquam superavit.

Magna sitis, cum cupiditate liquidorum, præsertim frigidorum, adest. Munera viscerum Chylopoëticorum et eorum quæ adjuvant, turbantur, unde cibi appetitus prorsus abest. Bilis vomitio, nausea magna, constipatio, vel e contrario, diarrhœa simul urgent. Hodie, sub vesperum, eruptio super faciem collumque sese manifestat; hoc autem minimè perpetuum est, cum sæpe ad diem febris tertium usque commoretur; hæc porro, ut in specie priùs expositâ, augmentum suum et decursum peragit. Exanthema, tamen, non ita constanter ac in Scarlatinâ simplici corpus totum percurrit, vis enim mali in fauces impendi videtur. Nunquam, ut Doctor BATEMAN memorat, non circa cubitum conspicitur. Nonnunquam die postquam accesserit, evanescit, unde morbi decursus diuturnior evadit, desquamatione abnormi factâ et ad hebdoma tertium vel quartum etiam provectâ.

Si exanthema lenissimum fuerit, nulla desquamatio subsequitur, dum, contra, si

sævissimum, cuticula a manibus pedibusque, eorum præcipuè qui vitam laboriosam degunt, per pannos quasi haud ita parvos decorticatur, imo sæpe haud aliter ac chirotheca a manu detrahi queat ; adeo perfecta prætereà nonnunquam evadit, ut capitis capilli unguisque manuum pedumque decidunt et rejiciantur.

Inter prima febris indicia, rigor musculorum circa maxillam collumque accidit, ita ut æger vix os ad explorationem faucium accuratam instituendam patefacere possit, hic porro sæpe ad musculos dorsi usque serpit. Quum, primo febris die, fauces investigantur, inflammatae reperientur ; a Doctore GOOD præterea annotatur, quòd, etsi Scarlatinâ affectus de gutture nullam, antequam febricitaverit, querelam ediderit, tamen, exploratione sedulò institutâ, velum pendulum Palati, et interdum Uvula ipsa nonnihil rubefacta videbuntur, dum pulsus simul potiùs leviter turbatus et intermittens est, quàm ulla febris symptomata præ-

bet. Doctor WILLAN, quoque, primum viri Scarlatinæ proprii effectum lineam esse profundè rubram per velum pendulum Palati partemque Uvulæ inferiorem productam affirmat.

Tempus, autem, quo Cynanche primò se prodit, in exemplis diversis haud parum variat. A Doctoris WILLAN de Morbis Cutaneis Scriptoris celeberrimi observationibus, illum Cynanchen quasi primum morbi indicium habuisse constat: ab aliis originem cum febre simultaneam habere creditur, at in ægris nonnullis, donec efflorescentia accesserit, minimè videtur: plerumque, me iudice, die secundo, tonsillæ majores et rubriores, quàm e naturâ, conspiciuntur, velum pendulum Palati parsque pharyngis posterior inflammationem participant; tertio die, guttur magis adhuc laborat, dum partes adeo ampliuntur et dolent, ut deglutitio difficillimè vel vix omnino perfici possit; vox rauca evadit, respiratio acceleratur et sonora fit; tussis trucu-

lenta fortasse superveniat, miserumque, ut in Cynanche Tracheali e medio tollat. In hujusmodi exemplis inflammatio in Asperam Arteriam serpsisse morbumque Cynanchen Trachealem dictum civisse credatur.

Hic annotare licet, organa, quæ respirationi inserviunt, nonnunquam inflammatione corripitur, unde nunquam non morbus in pejus vertitur, nec raro æger extinguitur.

Hoc die, tertio scilicet, ut Dominus BURNS, in suo libro, "The Principles of Midwifery," Anglicè vocato, enunciat, superficie ulcerationes haud raro observantur, partesque materiâ albidâ sive cineritiâ obteguntur.

Membrana narium inflammatione et nonnunquam ulcere plectitur, et inde multum irritationis ciatur, quæ, Diaphragma per consensum corripit, sternutationis haud

parum, ut in Rubeolâ quoque accidit, inducit.

Gingivæ pariter inflammantur et teneræ fiunt, et, si quovis modo irritantur, ex iis sanguis exudat, qui postea inspissatus eas crustis nigris obtegit et aspectum omnino foedum exhibet.

Circiter diem quintum vel sextum, febris imminui incipit; exuviæ mortuæ e gutture decidunt, et Ulcerationem plûs minûs altè sitam, quæ tamen cito sanescit, ostendit.

Glandulæ Parotideæ et Submaxillares nonnunquam tument, et aliquando ad suppurationem tendunt, pusque foràs emittunt, et, si æger ad strumam proclivis fuerit, sæpe istius mali causa excitans existunt. Surditas haud rarò aggressui Scarlatinæ succedit, at, (dicere juvat,) sæpissimè pro tempore brevi tantùm perstat.

Exempla tamen haud ita feliciter finita

interdum occurrunt, quibus saniei profluxus e meatu auditorio externo prorumpit; membrana Tympani perditur, ossa parva juncturis suis labant et ejiciuntur, ideoque surditas prorsus immedicabilis insidit. Narium ossa in casibus aliquot, quibus ulceratio non ad sanationem benignam pervenerat, carie affecta fuisse cognitum est. Dolor lateris, cum tussi mucoque excreato et aliquando sanguine intertineto, haud infrequenter observandus occurrit.

Febre decedente, cuncta symptomata molestiora decedunt. Appetitus cibi redit: omnes functiones secundum naturam peraguntur, ægerque citò solitam sanitatem recipit. Hoc, autem, minimè perpetuum esse satis superque notum est.

Scarlatinæ morbi diversi succedere possunt, imo etiam sæpe succedunt: Qui sæpius supervenit, Hydrops est membranæ cellulosæ faciei partiumque extremarum. De hac re talia verba Doctor BATEMAN

habet. "This dropsical effusion is commonly confined to these parts, and, therefore, unattended with danger. It appears in the second week of the declension of the rash, and continues for a fortnight longer. But in a small number of cases, where the Anasarca had become pretty general, a sudden effusion has taken place in the cavity of the chest, or into the ventricles of the brain, and occasioned the death of the patient in a few hours, which I have witnessed in two instances."

In hac Scarlatinæ Anginosæ Historiâ ad finem perducendâ, minimè silentio prætereundum est, ægros aliquando non solitas vires et robur cibique appetitum recipere. Horum functiones turbatæ et abnormes perstant, et, nisi auxilium tempestivum adhibeatur, ipsi, valetudine labefactâ, tabescunt, et post hebdomada aliquot, e cœtu et congressu hominum in perpetuum auferuntur.

Scarlatina Maligna sæpe ab initio suam naturam pestiferam, formâ Typhi Maligni indutâ, in aperto ponit ; semper tamen a febre inflammatoriâ incipit ; si hæc accessit, post diem unum vel alterum in illum convertitur, quem porro morbum summa debilitas notat. Æger a nisu vel levissimo animo linquitur, etiamque suum caput a pulvinari levare nequit. Pulsus parvus debilis et in nonnullis indistinctus est ; anxietas magna et præcordiorum molestia inter indicia eminent ; surditas et delirium ferox, vel mussitatio vel coma perquàm maturè invadunt ; lingua tenerrima est ; et pariter genarum superficies interior, gingivæ, dentesque crustâ fusca vel nigrâ obteguntur ; oculi hebent, palpebræ intus nigri coloris sunt ; genæ sunt lividæ, guttur coloris profundè rubri, cui etiam exuviæ fuscae adsunt. Spiritus graviter olet, multo humoris acris e naribus profluente, qui labium superius excoriat, magnamque ejus irritationem ciet.

Glandulæ cervicales, materiâ acri, ut verisimile videtur, absorptâ ampliantur, unde deglutitio penitus impeditur. Thorax afficitur, tussis exinde excitatur et respiratio difficilis evadit. Alvus, sub initio invasionis, ferè astricta est, at Diarrhœa debilitans succedit, quæ a materiâ morbosâ gutture devectâ, et in ventriculo et intestinis vasa secernentia irritante oriri videtur.

Exanthema hujus speciei interdum latè patet, at haud rarius in partibus corporis diversis, sub formâ macularum lividarum apparet, quæ ad Sphacelum spectant, in natibus præsertim, partibusque ceteris pressuræ obnoxiiis. In hac specie quàm in ceteris aliquanto seriùs erumpit, et, postquam per diem unum vel alterum viguit, ferè evanescit, at post diem quartum vel quintum, vel etiam intervallo incerto rursus apparet.

Hoc malum tam cito decursum suum peragit, ut nonnunquam laborantem, intra spatium horarum sex vel septem, e medio

rapiat. In aliis, ubi ad finem non ita velociter tendit, septimo fere die ægrum interimit; si contra Scarlatinâ affectus convalesciturus est, sub idem tempus, quo mors ceteris adest, pulsus plenior et firmior evadit, lingua nitescit, alvus magis naturalis est, vires augescunt, et post hebdomada aliquot, æger ad sanitatem ejusque munera perficienda redit.

DE DIAGNOSI.

CUM Scarlatinâ aliquid similitudinis communis habent Rubeola, Variola, Cynanche Tonsillaris, Roseola, Lichen Simplex, et Erythema Mercuriale, ideoque ne error medenti fiat, quoddam cuique proprium discrimen efficiens proponere haud a re nostrâ alienum erit.

IN RUBEOLA, exanthema quàm in Scarlatinâ, die uno vel altero seriùs florescit. In illâ quoque maculæ semilunares ferè, at

in hac magis diffusæ et inæquales observantur. Morbillis gravior Catarrhus adest, qui signum Scarlatinæ minimè necessariò existit; morbo quòque, de quo in hac Dissertatione agitur, quàm alteri, major inquietudo, anxietas animique dejectio, itemque Cynanche adsunt.

VARIOLA pro Scarlatinâ tantummodo donec eruptio appareat, haberi potest; tunc enim Variola, pustulis suis propriis ab exanthemate Scarlatinæ latiùs patente omnino diversis, facile discernitur. Magna nausea quoque et vomitus cum dolore proprio a pressurâ regioni Epigastricæ admotâ excitato vel aucto sæpe febrem primariam variolæ satis manifestam reddent.

IN CYNANCHE TONSILLARI et Scarlatinâ, guttur partesque vicinæ modo pæne eodem afficiuntur, et quoniam febris in utrâque typi inflammatorii est, sese invicem haud parum referunt. Attamen efflorescentia posteriori solummodo accidens

satis discriminis hunc morbum inter et illum efficiet.

ROSEOLA suo colore roseo, modoque quo distribuitur a morbo nostro discerni queat.

IN LICHENE SIMPLICI lenia febris symptomata eruptionem antecedunt, et eâ prorumpente finiuntur; dum contra in Scarlatinâ tunc temporis febris exacerbatur.

In priori eruptio diutius valet et ex papillis rubris constat, in posteriori, vero, exanthema tantummodo est, citiusque deflorescit.

IN ERYTHEMATE MERCURIALI, eruptio coloris, quàm in Scarlatinâ, multo vividioris est, neque in isto gutturis affectio, donec desquamatio inceperit, conspicitur, quæ, planè e contrario, inter prima Scarlatinæ indicia videtur.

DE PROGNOSI.

PRÆSAGIUM in Scarlatinâ a symptomatis ipsis ægrique aspectu generali deducendum est : Si infans priori ægritudine debilitatus et ad limina ævi perductus hoc morbo corripitur, quàm alter prius perfectâ valetudine fruens, malo minus resistere poterit. Quod, autem, ad morbum ipsum attinet, periculum præcipuè a gutturis affectione pendet, et, ceteris paribus, quo lenior ea ipsa fuerit, eo mitior erit effectus, quod quoque vice versâ obtinet.

Si febris Synocha est, cum parvo delirii aut molestiæ, si calor corporis non gradum Thermometri FAHRENHEITIANI centesimum exsuperat, neque guttur adeò afficitur, ut deglutitio impediatur, aut spiritus exinde difficilis fiat, ægrum post tempus idoneum sese ab effectibus morbi ipsissimis recepturum esse prædicere licet. Si, vero,

e contrario, febris Typhoidea est, delirio mussitante, floccitatione, subsultu tendinum; et urinæ stercorisque profluvio et dejectione invitis comitantibus; si, porro, pulsus debilis et abnormis, cum magnâ debilitate, et sudoribus tenacibus super pectus collumque erumpentibus, accidit; si, præterea, guttur exuviis mortuis nigri coloris obsidetur, si respiratio difficillimè absolvi-
tur, halitusque pulmonum graviter olet, si singultus urget; si denique nates ad sphacelum spectant, mortem haud procul a futuram esse, metuere, imo etiam credere oportet.

Prognosis de ultimâ et perfectâ sanatione ægri sub formâ hujus morbi etiam simplicissimâ cautè saltem præberi debet; omnes, enim, species communiter in Hydro-
pem desinere proclivitatem habent. “ I have been involved,” Doctor HAMILTON nunquam non venerandus, in suo tractatu æstimabili *De Usu Medicamentorum Purgantium*, ait, “ in the greatest distress, by the supervention of a fatal dropsy, upon

the termination of Scarlatina, apparently mild in its first attack."

DE RATIONE MEDENDI.

NIHIL jam operis præsentis, in quo elaborandum est, restat, nisi ut officium medici ad lectum Scarlatinâ laborantis arcessiti explicemus. Id officium, profecto, in formis morbi duabus prioribus satis bene intelligitur, neque in exemplis plerisque de suæ artis impotentiâ, in his saltem curandis, medico conqueri continget.

Hoc autem, dicere piget, de Scarlatinâ Malignâ minimè verum est; in quâ curandâ cunctæ medendi rationes a maximè peritis etiam institutæ ferè æquè irritæ et futiles extitere.

Quoniam Scarlatinâ affectus e cute et pulmonibus materiam morbificam usque exhalat, quæ malum propagare et aëra con-

clavis inquinare et insalubrem reddere queat, et e re ægrotantis, et eorum qui adsunt, erit, ut hic sæpe renovetur, et materiâ venenatâ purgatus fuerit: ad hoc efficiendum, fores et fenestra una cubiculi ex parte aperiri debent; sic tamen ut rivus aëris minimè in ægri lectum incurrat. Omnia e corpore excreta summovere quàm citissimè oportet; cubiculumque vapore acidi nitrici quotidie fumigare haud parum commodi præstabit.

DE AFFUSIONE FRIGIDA.—In morbo, ubi calor corporis ad tantum provehitur, remedium, ac Affusio Frigida, in animalium calore minuendo adeo efficax usurpári nequaquam mirandum erit. Quamvis hæc, ante tempora Doctoris CURRIE in paucis exemplis pro remedio usurpata fuit, illi, tamen, honor lausque maxima debetur, quippe qui primus remedium ferè semper tutò adhiberi monstraverit, qui porro leges quibus usus ejus et administratio temperantur, ostenderit.

Quidam Medici hodierni, nominis certè magni, inter quos Doctorem BATEMAN clarum quidem virum nominare est, usum remedii auctoritate suâ comprobârunt; et hoc, profecto, remedium tam necessarium in Scarlatinâ curandâ, quam venæsectio in Pneumoniâ censetur. Beneficia, quæ in affusione frigidâ usitandâ sperare licet, neque parva neque pauca existunt: Calor, scilicet, statim imminuitur; pulsus firmitate augetur, at frequentîâ compescitur; sitis depellitur; diaphoresis lenis superficiem modò aridam et ardore intenso molestam suaviter pervadit; vultus levatur, oculi suum aspectum et aciem naturalem recuperant. Hæc, autem, quamvis magna, non sola sunt commoda, quæ ex affusione frigidâ usurpatâ profluant; somnus enim placidus obrepit. Hoc, quidem, remedio omisso, neque ullum aliud, neque aliorum conjunctionem ullam cognoscimus, unde talia et tanta beneficia oriantur.

Quæ, porro, in Affusione Frigidâ admo-

venda observari necesse est, pauca sunt, et facile intelliguntur. Secundum Doctorem CURRIE semper commodè et tutò adhibeatur, quandò calor planè supra temperiem naturalem perstat ; cum nullus horroris sensus adest, neque ullus sudor universus vel profusus. Doctor BATEMAN, quoque, quotiescunque cutis supra modum calet, et sicca est, eam usurpari suadet. Has observationes, quàtenus valent, benè institutas esse opinor ; non ad tempus autem hujus remedii admovendi tantummodò, sed ad modum administrationis etiam respiciendum est ; hujus, enim, negligentia, indicia Pneumoniæ gravis inducta fuisse conspexi.

Quum hoc remedium adhibere necessarium videtur, æger in quovis vase majore sedere vel genibus incumbere debet ; deinde congii aquæ frigidissimæ quatuor vel quinque, ab altitudine ferè pedum duorum vel trium, corpori nudo affundendi sunt ; tum æger pannis laneis benè desiccari, et in lectum imponi debet.

Ab aspectu remedii, primo intuitu, formidabili, operâque in eo adhibendo susceptâ, sæpe, vix, ut usus ejus ab ægro ipso sinatur, vel a ministris adhibeatur, efficere possumus.

Rebus sic se habentibus, Scarlatinâ laborans spongiis aquâ frigidâ refertis benè detergeatur, quod si quoque molestum sit, et horrorem rigoresve excitet, aqua ad libitum calefiat.

Hic autem minimè prætereundum est, Affusionem Frigidam in duabus Scarlatinæ formis prioribus tantùm adeo sæpe prodesse; in specie, enim, malignâ, vix omnino necessaria, et sæpe, si non semper, perniciosa invenietur. At spongiæ tepidâ aquâ refertæ in hac Scarlatinæ specie pestiferâ, ut auxilium saltem, si non remedium sæpe proderit.

VOMITORIA.—Ad initium hujus, haud aliter ac aliarum aliquot febrium, ventricu-

lum deplere, per medicamenta quæ talem effectum præstant, maxime interest.

Hanc rationem in Scarlatinâ curandâ Doctor WITHERING tanti æstimavit, ut ad sanationem perficiendam solam ferè sufficere crediderit, ideoque Vomitionem Naturæ ipsius remedium nominaverit; primumque inter aggressum emeticum ferè semper morbum statim depellit.

Neque verò, vomitorium quod tantummodò ventriculum depleret, ad hoc efficiendum satis idoneum esse arbitrabatur. Secundum illum medicamentum adeo potens esse oportet, ut totam corporis compagem concutiat, et in exemplis simplicioribus, intra horas quadraginta octo, in urgentibus intra viginti quatuor semel, et in gravissimis bis die remedium repetebat. Pauci tantum vomitoriis, quantum hic medicus egregius solebat, confidunt, at potiùs confugiunt ad remedia purgantia.

PURGANTIA.—Postquam Doctor HAMILTON necessitatem ad “ Primas vias ” in morbis respiciendi monstravit, Cathartica in Scarlatinâ tractandâ multo liberiùs quam antea præscribi videntur: Neque symptomatica infausta, quæ ex eorum exhibitione pendere dicuntur, veluti animi deliquium, virium vitæ defectio, efflorescentia intempestivè, id est, nimis citò evanescens, subsequi comprobantur. Purgantia quoque nocere feruntur, materiam faucium acrem per tubum intestinorum profundendo, ideoque diarrhœam pertinacem et debilitantem ciendo; hoc autem falsum videtur; ab experientia, enim, docemur, talia indicia alvo probè dejectâ arceri optimè. Usus, porro, Catharticorum inter mali ipsius decursum effusionibus aquæ inter cutem, quæ huic morbo tam sæpe superveniunt, optimè omnium, antequam accesserint, obstat, et postquam plane invaserint, ad sanitatem perducit. Inter principia, igitur, Scarlatinae, alvum bis vel ter inter horas viginti quatuor, liberè deplere debemus.

Morbo, verò, progrediente, purgationem, quæ necessaria fiat, a rebus in ægro quoque natis pendere oportet.

Siquando junioribus medicamentum devorare persuaderi nequit, enema purgans exhibeatur.

DE SANGUINIS DETRACTIONIS *Utilitate*, in hoc morbo, vel etiam num *tutum* sit omnino ad eam tali consilio confugere, opiniones medicorum quàm maximè diversæ in medium prolatae sunt. A Symptomatis hunc morbum comitantibus haud ita malè patet, sanguinis detractionem non plerumque necessariam fieri, attamen in exemplis quibusdam, ubi, scilicet, inflammatio deorsum ad Laryngem et Tracheam tendit, sola spes est, remediumque solum, unde exitus faustus sperari queat. In iis profecto venam pertundere oportet, quod ad vicem tertiam vel quartam, si necesse fuerit, repetatur, et præterea hirudines perquàm frequentes faucibus externis admoveri debent.

GARGARISMATA.—Quando os et fauces muco tenaci obsidentur, hunc tollere haud parum levaminis affert. Hoc, quidem, per Gargarismata efficiendum est; quæ ex aquâ fontanâ frigidâ vel per se, vel cum paululo aceti commistâ constare queant. Infusum Rosarum acido sulphurico diluto acidulatum quòque eidem consilio haud injucundè inservit; aut, si aliquid plus stimuli habens usurpare visum est, decoctum Cinchonæ cum Acido Muriatico utilereperietur. Quum ob ægri ætatem aut quodvis impedimentum aliud gargarismata more solito usurpari nequeunt, Syrinx opem, quantam negligere planè dedecet, præstabit.

TONICA.—Cinchona vel in substantia, vel infusa, vel sub formâ Sulphatis Quinini simul cum vino aliisque remediis stimulantibus et Cardiacis, in exemplis Scarlatinæ Malignæ gravioribus, beneficium summum impertiet.

